



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

Antonius Patriarcha 12. Febr.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

gaudio aiebat: Deo gratias: Vbi cum cæteris
martyribus fame consumptus, ad palmam
martyrij euolauit.

DE S. ANTONII PATRIARCHÆ

pueritia, ex Tom. 1. Surij. 12. Febr.

ANtonius præclaris & multo pijsſimis pa-
rentibus in lucem editus, inter vite pri-
mordia magis pietate alebatur quam lacte,
cœpitq; balbutiens iucundam parentibus ex-
hibere admirationem. Balbutiēti enim lingue
nihil fere aliud præbebat loquendū, nisi quæ-
cunque erant mystici nostri cultus, quantum
teneræ ætatulæ loqui fas erat. & hoc paulatim
crescens cum augmēto corporis, simul etiam
crescentem habebat admirationem: & quicun-
que id videbat erat propheta futuri. Cum ve-
ro quintum ætatis annum attigisset, literarum
figuras doctus à Sancto spiritu (neque enim
scholas obire, puerorum irrisiones, & alias
pueriles ineptias declinans, in animum indu-
xit) sacras orationes, quas in templis palam
inter mysteria dici mos erat, ingeniosè me-
moriter pronuntiabat, de cætero etiam res
ipsas instar Sacerdotum imitabatur ac repræ-
sentabat. Dehinc ætatem præcoci ingenio an-
teuertens ac duodecimo statim anno, rebus
considerandis animum prudenter applicans,
cœpit de eligendo vitæ genere matura secum
deliberatione disquirere, atq; ad monasticen
mirificè propendere. Amore itaq; virtutis
E iaci-

Pietas.

*Duodennis
de vitæ sē-
tu delibe-
rat.*

incitatus ad id quod honestum est, tanquam ab aliquo carcere perpetuo ferebatur impetu, Deum quærens & ad ipsum contendens. Nec mora ad virum quendam, virtute & prudentia insignem, qui sacro præerat monasterio contendit. Qui cum in eo egregiam indolem, cum honesta morum compositione obseruasset, lubens eum monasticæ Societati aggregavit. Ibi tum iuuenis ille admirabilis tam ardentem studio pietatis incubuit, ut parum esse putaret, si noctes in hymnis & rerum diuinarum meditatione traduceret, nisi talentum à Deo sibi concessum in proximi etiam salute procuranda quam diligentissimè expenderet. Præclare enim statuebat, charitatem fontem omnium bonorum esse; hanc omnium suarum actionum & laborum principium & finem ponebat; hac unà egregiè excultus, & inanis gloriæ vitium à se repellebat, & furiosos perturbationum impetus sedabat, & benignè faciendi disciplinam perfectè colebat: Hac euandos mundi honores & fallaces diuitias constanter despiciebat, neque magnum quicquam eorum rebatur, quæ ad immortalitatis gloriam sine errore eum deducere non possent. Et hanc quidem virtutem consequens virilis ætas maioribus cumulauit augmentis, quando non solum præbyterio, sed etiam monasterij præfectura insignitus, tanquam strenuus bellidux, heroicis virtutum exemplis prælucebat, & inedia vigilijs ac cælesti cōuersatione, cæte-

ros

Zelus animarum.

Charitas.

ros ad imitationem accendebat. Corporis ei
vix vlla cura erat; hyeme pariter ac æstate, v- *Mirum ad
sinentiam
rigor.*
na eademque veste utebatur; pane & oleribus
pueritiam ad vltimam & senilem ætatem
perduxit. Erat in eo bonorum omnium mira-
bilis quidam concentus. Austeritas, incredibi-
li quadam suauitate temperata, & lenitate cõ-
dita seueritas, ita vt neq; inutilis vnquam esset
reprehensio propter austeritatem, neq; leni-
tas suauitasq; propter admixtam austeritatem
cõtemptui. Atq; eum his encomijs celebrem,
diuina bonitas etiã Patriarchali dignitate, ac
miraculorum splẽdore in terris, ac deniq; vi-
ta functũ æternis in cælo præmijs dignata est.

EXEMPLVM S. MARTINIANI ERE-
mitæ apud Surium ex Simeone Metaph.
13. Febr. Tom. 1.

B Martinianus ab anno ætatis decimo o-
ctauo celebris eremi apud Cæsaream in-
cola, ac miraculorum gratia clarus, post diuer-
sas dẽmonũ insidias & impetus superatos, con-
tra tentationem carnis qua penẽ circumuẽtus
fuerat animosè & fortiter hac ratione decerta-
uit. Venerat ad Mandram S. Martiniani
scortum detestabile, quod squalenti habitu
sub vesperam præstolans pro foribus flebi-
li voce tanquam à via aberrans ferisq; ac
tempestati expositum, vt in cellam recipe-
retur dolosè eum exorauit. Intromisit tan-
dem miserans aduersum mulieris casum,
E 2 & dacty-